

1539

lis disciplina, egregiisque rebus gestis nunquam non floruit, illius nomen, tanquam veteri virtute obsolescente, maritima apud cunctos existimatione exuatur? At quo se recipiet? in occidentemne vela dabit? scilicet, ut *Auriæ* sociatus, spes, quæ *Byzantii* de pace oblata est, intempestive præcidatur, ac omnino pereat? An in altum provectus hostes eludet? at mare triremibus infidum, nulla ibi annona, nulli commeatus. In orientemne igitur iter arripiet? Nulla, nisi in *Creta*, tuta statio; iter longinquum, annonæ difficultas, ut nisi summa incolarum omnium desperatione ex ea provincia peti possit. Quæ cum ita sint, quis non potius classem in *Adriatico* esse malit; ubi & commeatus assatim copia suppetet, & nullus laceissentis hostis impetus erit pertimescendus? Sin vero, quod alterum caput est, amicus *Chariadenus* advenit; eo magis classem ibidem continendam arbitror, ne in *Turcarum* animis suspicione orta, a vobis cum *Cæsare* consociatis viribus, intra hujus sinus fauces fore, ut intercludantur, juribus induciarum neglectis, hostilia in nos arma convertant; cum præsertim ex classium propinquitate quotidie quamplurima suboriri queant, quibus vel invitati in novas belli causas provocemur. An vero *Auriæ* artes ignotæ sunt, quibus serere inter vos, ac *Suleimanum* dissensionum semina conatus, ut ad apertum bellum eliceret; mox cum obnixè a vobis, atque a Pontifice, ut se imperatori vestro adjungeret, flagitaretur, nullis suasionibus, nullis precibus inflecti potuit, quin *Genuam* contenderet? Quis ambigat, non eadem mente futurum, non eadem consilia adhibiturum, ut vos *Turcis* suspectos reddendo, concordie rationibus abruptis, *Cæsari* ita devinciat, ut ab illius consiliis nunquam divelli liceat? Quid? quod ex nutu ejusdem, penes quem omnium fœderatarum copiarum imperium est, vester imperator pendere cogetur, cum ita conditionibus fœderis cautum sit? Instabit, urgebit, ex fœderis lege præcipiet. Quid tum vester imperator? Vires consociabit? Tunc ex *Auriæ* auctoritate, non vestro arbitratu, classe utemini: ad *Neocastrum* defendendum, quod nobis per summam injuriam *Hispani* occupavere, ire oportebit: in nobis, neque pax, neque bellum situm erit. At si adungere se *Auriæ* nostri abnuent, nonne hoc facto odium, atque arma *Cæsaris* in *Rempublicam* incitabit? ancipiti periculo